

nere suo, id est, in genere causæ finalis. Non ergo consequenter potest dici, quod detur absoluta intentio eligendi ad gloriam, ut ad finem ante prævisa merita, et quod hæc voluntas non sit necessaria in ordine ad media eligenda, sed quod possit suppleri per simplicem, et inefficacem voluntatem, cum omnino necessaria sit propter subordinationem mediorum ad finem, et dependentiam efficaciam hujus ab efficacia illius, si per se ex fine debet deduci, et non per accidens, et casualiter evenire.

XXII. Contra solutionem p. Lessii vix oportet instare: nam inquiri: Quando Deus vult gloriam ut causam finalem justificationis et meritorum (esse autem causam finalem docet Concilium ubi supra) ex vi talis volitionis, et intentionis finis per se vult aliquid, vel non. Si non vult aliquid, frustra est illa causa finalis, quia nihil per se consequitur ex illa; et sic per se non est causa, sed materialiter, et per accidens. Si autem per se vult aliquid ex vi intentionis talis finis, maxime efficaciam mediorum: nam finis maxime movet ad sui assecutionem, si est intentus, et non simplici tantum voluntate volitus, et Deus in prædestinatis intendit assecutionem finis in re, et cum effectu: ergo maxime debet causare efficaciam mediorum ad talem assecutionem: id enim principaliter conducit ad talem assecutionem. Si ergo Deus assecutionem intendit illius finis voluntate antecedenti, et priori in ordine intentionis, vel cognoscit efficaciam mediorum, vel non. Si non cognoscit, caret scientia. Si cognoscit, et non intendit ex vi finis, caret prudentia, quomodo enim prudenter procedit, qui intendens assecutionem alicujus finis, quæ unice dependet ex efficacia mediorum, præmittit intendere illam, et solum

materialiter ibi adhibetur efficacia, cum hæc sit maxime requisita, et non casualiter debeat adhiberi: sic enim exponitur casui, et fortunæ, et consequenter frustrationi, si non per se, et formaliter ex vi finis efficacia media adhibentur, sed solum materialiter, et per accidens apponuntur. Quod vero secundo addit non esse necesse quod finis, et præmium prius sit efficaciter volitum ante media, jam supra contra Molinam et Vasquez impugnatum est, cum gloria sit finis ut consequendus in re per media danda ab ipso Deo, non ab alio principio expetenda, sed prorsus in potestate ejus sita. Et ad idem pertinet quod dicit beatitudinem esse volitam in communi ante prævisa merita, non in particulari pro Petro, vel Paulo: nam beatitudo in communi non est volita efficaciter, et per electionem, quæ discernit reprobos a prædestinatis: nec enim beatitudo in communi proponi potest ut assequibilis efficaciter, cum in communi a nullo assequi possit. Solum ergo in communi diligi potest ratione suæ bonitatis, et secundum quod communis est prædestinatis, et reprobis, non autem ut in esse, et exercitio assequenda. Nec electio ad gloriam, ut discernit prædestinatum a reprobo, potest esse, nisi ut propria, et individualis istius: ergo non in communi. Et Deus eligens determinate ad hanc gloriam ante merita, cum habeat in potestate sua dare merita, quæ velit, et in qua mensura velit, nec dependeat in hoc ab homine, sed homo ab ipso: *Quia unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, ad Ephes. iv, consequenter non minus potest in hoc fine intendendo procedere ex absoluta, et efficaci intentione ante merita, quam in fine, qui assequendus est per merita ab ipso solo Deo ponenda, ut probatum est.

ARTICULUS IV.

Solvuntur argumenta.

XXIII. Ad id denique quod dicitur de præcedentia meritorum, et gloriæ in diverso genere causæ, respondetur quod illud intelligitur secundum ordinem intentionis, et executionis, quod videlicet gloria est causa finalis meritorum, et præcedit illa in hoc genere causæ finalis, qui est ordo intentionis. In quo genere non possunt merita præcedere dando rationem motivam electionis hujus, quia sic præcederent ut motivum amandi finem, atque adeo ut id cujus gratia finis amatur, quod repugnat, cum merita sint effectus finis. Præcedunt autem merita ipsam gloriam in genere causæ dispositivæ, et materialis quantum ad executionem, seu assecutionem, quatenus reddunt subjectum dignum, et idoneum ut illi detur gloria ratione meritorum ut qualificantium personam. Et in hoc sensu loquitur S. Thomas in illis auctoritatibus quæ in solutione ista adducuntur, videlicet quod merita non se habent ut motivum propter quod Deus elegit nos ad gloriam, nec ad id inclinant divinam voluntatem, sed quatenus reddunt hominem idoneum ad hoc ut illi in executione detur gloria ex meritis, quia sic præordinavit Deus ut ex meritis detur gloria, non tamen ex meritis motus fuit ad sic præordinandum. Quem sensum etiam expressit Scotus in reportatis dist. xli, quæstione unica, §. De argumento, ubi explicat illam propositionem: Deus vult Petrum præmiare propter merita, quod ly propter merita potest construi cum ly vult; et sic est sensus: Deus propter merita vult Petrum præmiare, et hæc est falsa: vel potest construi cum ly præmiare, sic: Deus vult Petrum præmiare propter merita, et hæc est vera. Sic Scotus sentiens cum D. Thoma.

I. Fere omnia argumenta quæ in hoc puncto prolixè multiplicantur, æquivocant in prævisione meritorum respectu gloriæ: aut enim in intentione gloriæ dandæ, prævisa merita intrant ut motivum intendendi, et volendi gloriam, vel ut effectus subsecuti: qui enim vult dare gloriam ut coronam, vult illam dare per merita, ita ut merita subsequantur hanc voluntatem, et deriventur ex illa, ut effectus. Non tamen utitur ipsis meritis ut motivo intendendi illum finem, qui est gloria, licet utatur illis ut motivo ex parte meritis ad dandum illam in executione, quia non dat nisi digno. Quare Deus non vult gloriam sine meritis, sed non ex meritis intendit finem, qui est gloria. Et gratis vult dare gloriam, non tamen vult dare gloriam gratis, quia variatur hic appellatio: sensus enim primæ propositionis est: Deus gratuito motivo movetur ad intendendum gloriam, quæ in executione non est danda gratis, sed ex meritis: secundæ autem propositionis sensus est: Deus vult dare gloriam in executione ex meritis, quæ tamen sunt effectus subsecuti ad intentionem gloriæ ut finis. Unde etiam laborant argumenta opposita illa æquivocatione efficaciam in ordine intentionis, et executionis: nam in ordine intentionis, qui est ordo, et linea causæ finalis, habetur efficacia solum in genere finis, non in genere aliarum causarum; quæ tamen cum sit prima causarum, inchoat efficaciam, non complet. In genere autem, seu ordine executionis, datur efficacia in ordine causæ efficientis, seu exequentis, quæ supponit efficaciam

finis. Unde non debet argui ab una sola efficacia, ad positionem effectus absolute, sed ut subest illi lineæ, et ordini.

II. Hoc supposito objicitur primo argumentum ex auctoritate tum Scripturæ, tum patrum: Scriptura enim in multis locis docet electionem ad gloriam non solum ut in tempore dandam executive, sed ut præparatam in prædestinatione supponere aliqua merita: ergo male dicitur esse ante prævisa merita. Antecedens probatur, nam Matth. xxv dicitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc.* ubi illa particula enim, reddit causam, non solum possessionis in tempore, sed etiam præparationis ab æterno: ergo motivum præparandi fuit bonorum operum prævisio. Item Jacobi II: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se:* et I Corinth. II: *Oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Ergo ratio præparandi regnum apud Paulum, et eligendi apud Jacobum, est dilectio eorum, qui eliguntur, et quibus præparatur: dicit enim præparasse diligentibus se. Alia minoris ponderis objicit Lessius, ut est illud II Petri I: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis:* et Apocalyp. III: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Si autem præcederet electio efficax ante opera, seu merita, fixum esset ante opera quod talis consequeretur gloriam: ergo nec esset timendum quod ab alio acciperetur corona, nec indigeret illa electio certificari bonis operibus.

Confirmatur ex Ambrosio super epistolam ad Rom. c. VIII, ubi dicit quod: « Eos quos præscivit devotos,

eligit ad promissa præmia capienda. » Et lib. V de fide, c. III: « Quorum, inquit, merita præscivit, horum merita prædestinavit: » non ergo ante meritorum prævisionem id fecit. Et S. Hieronymus epist. CL, ad Hedibiam: « Non salvat irrationabiliter Deus, et absque judicii veritate, sed præcedentibus causis. » Sed electio illa ad gloriam est electio salvans: ergo non est absque præcedentibus causis.

III. Respondetur in auctoribus Scripturæ allatis nullo modo assignari merita ut motiva præparandi, aut eligendi ad regnum, sed ut effectus ipsius electionis, quia eligit Deus ad gloriam dandam in executione per opera bona, non sine illis, non tamen ex illis ut motivis eligit ordine intentionis. Itaque in primo loco illa causalis esurivi enim, etc. non reddit causam præparationis regni, sed possessionis jam præparati; et quando præparavit, non præparavit ut sine meritis daretur, sed ut a meritis ad præparandum moveretur. In secundo et tertio loco dicitur eligere divites in fide, non quos supponit, sed quorum electione ipsa facit, et promittit diligentibus se regnum, et similiter præparat bona diligentibus se, non quia diligentes supponit, sed quos diligentes sua præparatione facit: unum enim ex his quæ præparat, est ut diligentes sint. Si autem electio diligentes facit, non supponit: respicit ergo dilectionem, et merita, ut effectus electionis, non ut motiva. In locis p. Lessii nihil consequentiæ video: nam efficax electio non excludit bona opera, sed præbet. Unde per ipsa tamquam per effectus fit certa vocatio, et electio certitudine executionis derivata ex efficacia, et certitudine intentionis. Unde non sequitur quod si electio est certa non indigeat operibus, quia est electio ad gloriam dandam in executione per opera, non

ad gloriam absolute, et sine respectu ad merita; et sic opera in executione reddunt certam illam electionem in sua executione, non in suo motivo intendendi gloriam. Quod vero dicitur in alio loco: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, non dicitur respectu coronæ, ut habetur ex prædestinatione divina, sed ut præcise habetur ex merito gratiæ, ut exponit S. Thomas in hac quæstione XXIII, art. VI ad 1. Itaque ibi corona accipitur non pro ipsa gloria in se, sed in semine, id est, in gratia et est sensus: *Tene gratiam quam habes, ne alius accipiat coronam tuam*, quia alteri dabitur gratia cum perseverantia loci tui; et sic accipiet coronam. Et hoc patet, quia loquitur de eo quod jam habetur dum dicit: *Tene quod habes, habetur autem gratia, et non gloria: ergo de gratia loquitur.* Itaque in his locis solum admonemur, gratiam quæ ducit ad coronam, et finem electionis, esse amissibilem, et per bona opera esse firmandam: sic enim certa fit nostra electio, qua inter justos per gratiam coaptati sumus.

IV. Ad confirmationem respondetur Ambrosium exponendum esse in utroque loco de prævisione meritorum consecuta ad ipsam electionem per modum effectus, non movente ad ipsam electionem: eligit enim ad promissa præmia quos præscit devotos, non quacumque præscientia, sed qua eos devotos facit, ut sæpe exponit Augustinus in libris de prædestinatione sanctorum, et de bono perseverantiæ. Si autem quos facit devotos eligit, et prædestinat merita quæ præscit, utique non est inconveniens quod ipsa electione, et prædestinatione id faciat; et sic merita sint effectus electionis, non motivum. Vel etiam dicitur eligere ad præmia promissa ordine executionis: nam certissi-

mum est in executione, et in re, Deum eligere aliquos, cum eos ad aliquod ministerium, vel munus gratiæ promovet, sicut elegit Apostolos suos, quibus ipse dixit: *Ego elegi vos de mundo.* Joan, xv. Ista ergo electio (quæ in tempore fit, et est executio æternæ prædestinationis, et electionis) est electio ad æterna præmia, et ad munus gratiæ, et eligit Deus in tempore ad ista numerata quos devotos præscit præscientia ipsa prædestinativa, quæ facit quod præscit, juxta regulam Augustini de bono perseverantiæ, c. XVIII: « Quid nos prohibet quando apud aliquos verbis Dei tractatores legimus præscientiam Dei, et agitur de vocatione electorum, eandem intelligere prædestinationem? » Prædestinatione ergo præscit, facitque devotos, et sic eos temporali executione eligit ad promissa præmia. Locus Hieronymi nihil urget: quis enim dubitare potest quod Deus rationabiliter salvat et non sine judicii veritate, et præcedentibus causis, sicut nullus potest negare quod Deus salvat ex meritis, et per merita: sed totum hoc quod est velle salvare per merita, et ex causis præcedentibus, fuit intentum a Deo per modum finis, et in illa intentione merita ipsa ex quibus tamquam ex causis præcedentibus Deus salvat, in executione, non se habuerunt ut motiva intendendi, sed ut effectus, et media ex intentione illa derivata, ut ex illis tamquam ex causis meritorii detur gloria, et salvet Deus in executione. Hoc enim generale est in quocumque fine, ut intendatur prius ex motivo suæ bonitatis, deinde ex illa intentione quærantur media, quibus tamquam ex causis exequentibus finis ipse in executione consequatur.

V. Secundo, arguitur specialiter ex Augustino præsertim in duplici loco ubi videtur docere electionem

ad gloriam esse post prævisa merita.

Primus est lib. I ad Simplicianum, qu. II, ubi late expendens illa verba Pauli ad Rom. IX: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Major serviet minori,* inquit inter alia argumenta: « Non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius, sed quia illud manet, ut justificet credentes ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum. » Et infra: « Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est quia eligit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. » Ubi in prioribus verbis aperte docet Augustini propositum justificationis (id est, decretum dandi gratiam justificantem) esse in Deo ante electionem. In posterioribus autem aperte docet electionem non præcedere justificationem, utique electio ad gloriam: nam electio ad gratiam justificantem quis posset dubitare quod præcedit ipsam justificationem in tempore factam ex vi electionis? Ergo illa electio, quæ est ad gloriam ante mundi constitutionem juxta mentem Augustini, non est ante prævisa merita, sed in præscientia, utique meritorum. Alter locus est sermonis septimi de verbis Domini, ubi duplicem electionem agnoscit, aliam sine examine præmisso, aliam præmisso examine, et dicit: « Quoniam quos voluit Dominus hos eligit; eligit autem, sicut dicit Apostolus, et secundum gratiam, et secundum illorum justitiam. » Sed ad gratiam, et justificationem non eligit nos secundum justitiam, quia ad gratiam nulla præcedunt merita; ergo quando

dicit quod eligit secundum justitiam, intelligit de electione ad gloriam. Repugnat autem dari electionem secundum justitiam, nisi sit ex suppositione aut prævisione meritorum. Illa ergo debent electionem præcedere.

VI. Respondetur primum locum magnificari valde ab oppositæ sententiæ auctoribus, quasi evidentem exprimat Augustini mentem. Nec desunt aliqui ex parte alterius sententiæ, qui putant Augustinum scripsisse librum illum adhuc juniorem, postea vero senem retractasse hanc expositionem quam hic adhibet isti loco: nam illa verba: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret,* quæ hic explicat de electione ad gloriam, alibi explicat de electione ad gratiam, ut epist. CV et CVI, et alibi sæpe. Illa autem verba: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,* non de electione ad gloriam ratione præscientiæ, sed de electione ad gratiam ante præscientiam exponit, ut in libro de prædestinatione sanctorum, c. XVIII et XIX constat, et in libro de bono perseverantiæ. Videtur ergo retractasse Augustinus quæ hic dixerat ad Simplicianum. Cæterum retractationem istam Augustini haud satis fundatam video, ab ipso vero nullibi expressam: nam nec in libris retractationum cum mentionem hujus libri faceret lib. II, c. I, quidquam de hac doctrina retractavit, nec in aliis libris quos in ultima ætate, id est, post libros retractationum edidit, id est, in libris de prædestinatione sanctorum et de bono perseverantiæ, ubi etiam meminit hujus quæstionis tractatæ in libro ad Simplicianum, nullo modo doctrinam illam retractat, quin potius in capite quarto dicti libri de prædestinatione, illam approbat, præsertim in eo quod tractavit, an fides esset ex gratia. Sed et c. XX, libro de bono perseverantiæ, ita lau-

dat librum illum ad Simplicianum, quod de gratia Dei, etiam ante exortam hæresim Pelagianam plenius in illa disputatione se sapere incæpisse fateatur. Non ergo est vestigium retractationis hujus doctrinæ, quam docuit in libro ad Simplicianum, in aliis locis Augustinus. Quare una, et eadem doctrina censenda est apud Augustinum quæ ibi tradita est, et quæ in aliis locis. Cui non obest, eidem loco Pauli diversas alibi explicationes adhibuisse: id enim non est retractare priores, cum de eodem Scripturæ loco diversæ expositiones inveniri possint.

VII. Respondetur ergo sensum Augustini in isto loco quando loquitur de electione subsecuta ad justificationem, manifestum esse procedere de electione exequente, et eligente in re ad consecutionem finis, non de electione intendente, et respiciente finem, ex cujus gratia sequantur media, quod deducitur ex ipso contextu: loquitur enim de illa electione qua opera ipsa eliguntur ad regnum cœlorum, non de illa electione qua homo eligitur ad talem finem, cujus gratia eligatur ad ipsa opera. Quando autem opera eliguntur ad regnum cœlorum, seu homo ratione operum, proceditur via executionis et tunc jam præcedit justificatio, ratione cujus opera illa sunt digna eligi ad regnum cœlorum. Hoc autem patet ex ipsis verbis Augustini ibi: non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum. Loquitur ergo de electione ipsorum operum. Opera autem sunt merita, et media quibus homo perducitur ad regnum: ergo electio eorum est electio mediorum ad illum finem, et talis electio necessario debet supponere justificationem,

quia opera non eliguntur nisi ut informata gratia justificante. Loquendo ergo de electione mediorum ad gloriam, id est, de electione operum quæveniuntur in justificatis, utique hæc electio non pertinet ad ordinem intentionis, nec de ea agit hic Augustinus, sed de electione ordine executionis, quia ordo intentionis est circa finem, et executionis circa media. Ergo non est hoc inventum ad fugiendam vim auctoritatis Augustini, sed est ipsamet expressa mens Augustini. Unde cum subdit quod: « Electio non præcedit justificationem, sed justificatio electionem, optime dicit, » loquendo de ipsis mediis quæ eliguntur: hæc enim sunt ipsa opera a justificationis gratia procedentia; et sic supponunt illam. Et cum addit: « Nemo enim eligitur nisi distans ab illo qui rejicitur, » optime dicit, loquendo de electione executâ, et inventa in re in eo qui per media seu per opera ipsa aut ratione operum eligitur, id est, assumitur, et perducitur ad gloriam: ordine enim executionis nemo eligitur nisi distans, et distinctus ab eo qui ejicitur, quia loquitur Augustinus eodem sensu, et eodem tenore, de eo qui eligitur electione eadem pertinente ad media, et ad ordinem executionis, sicut locutus fuerat de operibus quæ invenit ut eligat: idem enim est eligere opera ad regnum (quod est ordine executionis) ac eligere personam ratione operum: non enim opera sine persona eliguntur. Denique, cum addit: « Unde quod dictum est, quia eligit nos Deus ante mundi constitutionem non invenio quomodo sit dictum, nisi præscientia, » verissimum est, quia hæc electio mediorum, executiva ab initio, et ante mundi constitutionem, non fuit nisi in præscientia, quæ illam executionem disposuit, et ordinavit, et ibi fuerunt merita, quia ibi fue-